

virulentorum omnium, antequam ad  
cor prorepant, carne ipsa sola, aut as-  
sa, aut elixa, aut cum ptisana, aut cum  
aqua vitæ, vel vino, vel Theriaca, &  
quando morbus requirat, cum aqua  
rosata, utpotè in febribus mali moris,  
in peste, & in febre pestifera cum sy-  
rupo ex toto citro, vel refrangatur  
cum acido citri, vel oxalidum, vel de-  
cocto ex soncho, & pimpinella, ace-  
tosa, & appiis malis cum punctis ru-  
beis, & sic in intemperaturis veneno-  
sisque morbis in partibus similaribus  
occurremus.

*DE MORBIS INSTRU-*  
*mentariis venenosis, & eorum cura-*  
*tione, externis & internis*  
*remediis.*

CAP. XXI.



**I**nstrumentarii morbi, qui  
à materia venenata fit, vel  
forma, vel figura, vel nu-  
merus, vel situs partium le-  
ditur,

88 DE VIPERÆ NATURA

ditur, & propterea partium compositio in una quaque lædi certum est, ut infra probabitur. Ergo tota compositio à veneno subvertitur, quòd proprietate substantiæ contrariatur. Eis igitur remediis à tota substantia contrariis tolletur. Quando igitur à venenata materia læditur compositio, intumescit corpus, forma & figura corrumpitur, ut abruptionem minari videatur, ut in morbis venenatis, quoniam partes instrumentariæ toto genere præter naturam afficiuntur. Galenus com. primo numero 6. de Natura humana, & 21. tumores interdum excitari ab humoribus supervacaneis, qualitate peccantibus, & quandoque venenosis. Morbus igitur organicus, & magnitudine lædit eximia. Igitur morbus in magnitudine est instrumentarius venenatus; & quoniam quandoque strumæ fiunt à venenosa materia, capite 9. de differentiis morborum reponit inter morbos auctæ magnitudinis, qui sunt instrumentorum;

rum, qui vasta magnitudine lædunt. His igitur omnibus, & aliis venenosis morbis instrumentalibus elixas viperarum carnes prodesse, scripsit Dioscorides. Viperæ caput collo appensum aduersus gutturis morbos efficax est, ut scribit Jacobus Weckerus. Corio quoque circumvolutum & collo appensum iuvare testatur Antonius Ludovicus cap. 21. de Occultis proprietatibus. Marcellus Medicus Antiquus cap. 15. de Medicamentis, synanchas nascentes maximè prohibere, & adnatas curare asserit. Constantinus Africanus: caput Viperæ, filolanæ aut ferici suffocatæ, periculo subleuat ægrotantes. Alexander de Benedictis Veronensis, lib. 8. cap. 5. Hoc idem confirmat etiam Galenus, lib. 6. simpl. capite de peonia. lib. 3. c. 5. Paulus Ægineta in Anginæ curatione: omnia præterea Viperæ ossa, si ad collum in purpurea sindone colligata deferantur, ab omni venenato affectu deferentem præservant, & à peste li-

be-



berant, & plurimum contra epilepsiam valent, & vertiginem. De secretis naturæ Jacobus Periander affirmat, qui semel Viperæ dente tangitur, nulla in posterum venena formidabit. Pierius Valerianus lib. 14. in Vipera, & in Æsculapio 16. & lib. 25. in coturnice, probat carnes Viperinas curare morbos contumacissimos, ut etiam videmus hucusque lib. vero 6. Rasis ad Almanforem Regem cap. 35. Raymundus Lullius de aquis resurgentibus scribit, aquam ex Viperis, ex balneo mariæ, ad vitæ longitudinem comparandam, & iuventutem retinendam, contra pestem, & venena, mirum in modum prodesse, ad ea quæ jam diximus. Plinius lib. 29. cap. 4. contra omnium serpentum virus, quamvis insanabile, serpentum exta imposta auxiliari. Antonius Ludovicus Ulyssiponensis lib. 3. cap. 2. de occulta proprietate asserit, eos qui à Viperis demorsi sunt, efficax veneni vis celeritèr mori compellit, sed harum  
cor-

corpora tota, præcipuè exta & capita  
 trita & imposita, exitium cohibere,  
 sed à principio plurimùm valent, e-  
 tiam ad phalangiorum ictus, & omni-  
 bus venenatis experientia plurimùm  
 valere comprobatum fuit, ne singula  
 enumerem, etiam in rabido cane, pi-  
 los & cutem caninam, sanguinem ejus  
 potum, quod *Marfilio Ficino*, & *Divo*  
*Ambrosio* plurimum placuit. Adeps  
*Crocodili* suos morsus sanat. Ex his  
 jam patet instrumentatios morbos  
 venenosos plerosque propriis anti-  
 dotis sanari, ut *crapadino lapide* in  
 capite *buffonis* reperto ejus morbos  
 curari, uti os cordis cervi venenata  
 caudæ occurrere.

QVA